

# ANIMADVERSIONES

Rev.<sup>mi</sup> Capituli Insignis Collegiatæ  
Oppidi Gaudiani

## AD NOVISSIMAS ALLEGATIONES

D. Præpositi Peroli

E T

D. Advocati Romani  
pro Eò Scribentis.



Axima illa, & propè dixerim Monarchica auctoritas, & potestas, quam sibi in Ecclesia, & Capitulo Gaudiani generaliter attribuit D. Præpositus Perolius pabulum fortè exercendi ingenia in Academias præbere potest, non autem esse forensi praxi, & hodiernis Collegiarum moribus congrua.

Nolla siquidem cuiuscumque Collegiatæ prima dignitas, sive Præpositus, sive abbas, vancupetur quidquam disponere potest aut in ordine ad res Ecclesiæ, aut relativè ad jura Capituli, nisi comprehenso voto primæ Dignitatis interveniant vota majoris partis Capituli in unum congregati, in modum ut majori Capituli parte, & multo magis omnibus aliis Capitularibus in aliam abeuntibus Sententiam ab illa primæ Dignitatis, necesse habeat prima Dignitas aliorum Sententiaz omnino acquiscere, & parere. *Ursula discept. Eccles. 23. p. 2. tom. 3. n. 43.* cum cuius sensu processit S. C. C., & docet quotidiana praxis. Neque præmissam suppositam auctoritatem firmare valet propositio à D. Perolio nimis leucrè prolata, quod ipse sit Pralatus.

Etenim cum Pralationis subjectum sit ordinaria iurisdictio, & hoc duplex sit, alia nempe superior, qua est Episcopi, qui solus de jure communi dicitur Pralatus; alia vero inferior, qua potiuntur ii, qui iurisdictiōnem exercent quasi Episcopalem; ut per eadem fermè verba tradit *Luter. de re Benef. lib. 1. quæst. 16. n. 100. & seqq.*, cumque utraque iurisdictio carcat D. Perolius, hinc abusivè tantum posset ipse appellari Pralatus. Et sancè ut in Allegationibus pro Capitulo notatum est, si D. Perolius in concurso non solum cum prima, sed cum qualibet alia Cathedralis Dignitate ex communi DD. sententia nequit antelationem pretendere, quin immò præminentia debetur cuilibet

Cathedralis Dignitati, certè certius resultat ipsum non esse Prælatum; Prælati quippe, ut omnes norunt, & docet sublimè Fort. de Præcedentia quest. 1. a. n. 8. ad seqq., quamcumque Cathedralis Dignitatem in præminentia vincunt.

Utque evidenter agnoscat D. Adversans, quod aitentis hodiernis Italiz moribus illa tantummodo Collegiarum primæ Dignitatis Prælati dici possunt, quibus competit quasi Episcopali Jurisdictione, illa vero, que de coniunctudine sunt de Capitulo, & adimit aliorum Canonicon in choro interveniunt, aliisque vacant cultum, atque servitum Ecclesie concernentibus cum participatione distributionum &c. in substantia sint Canonici sub nomine antiquarum dignitatum, que hodie ab Aula recesserunt, & sunt abusiva, ac in soia punctuatione magis qualificata, non gravetur legere Card. de Lyc. de benef. dist. 46. num. 5. & 9., & de hac indubitate veritate certior fiet, unde ea, que ex asserta antiqua Ecclesiæ disciplina cum tanto labore cumulavit, inutiliter nostris temporibus in lezam adduci perspicet: Certior quoque fiet quod idem Card. de Lyc. quando in dist. 30. de Canonici affirmavit primam Dignitatem in Collegiata esse Prælatum, locutus fuit de Collegiata exempta, & de prima Dignitate a Capitulo sejuncta, & quæ jura quasi Episcopali habeat, ut notatum est in Allegationibus pro Capitulo n. 46.; numquam vero de prima Dignitate Episcopali subiecta, & cui jurisdictione quasi Episcopalis non competit. Idque aded verum est, ut in Collegiis, & Ecclesiis Sæcularibus vix possibilis sit verificatio Prælature etiam in infinito gradu, ut docet Card. Petr. ad Conf. 6. Alex. III. sent. 1. n. 1. & 2. Hinc facile deprehendi potest utrum vel ex antiqua asserta disciplina, vel ex aliis cum tanto apparatu in adversaria Scriptura adductis recte inferatur primam Dignitatem in Collegiatis esse Prælatum: quia si ita esset *vi omnes Collegiarum primæ Dignitates forent Prælati, & juriisdictione quasi Episcopali poterentur.*

His ita generaliter constitutis deveniendo ad præcisa merita cause, legitantur DD. Canonici Gaudiani quod D. Præpositus, ac D. Advocatus Romanus pro eis scribens totis viribus hucunque impugnata immemorabilem, vel saltem plusquam centenariam Præfetti Capituli existentiam in Capitulo Gaudiani, nunc tandem libenter admittat, & ut aded longior exsistens ejusdem Præfetti efficaciam effugiat, asserte non dubitet ex ea non inferri, quod Capituli Præfectorus jus habuerit illud convocandi, illud unquam convocaverit, aut in eis præsideret; sed ad eum finem tantummodo fuerit institutus, ut icheidulis subscriberet.

Isthaec idiomatici mutatio ex se sola apta est ostendere malum jus, quod sovet D. Præpositus, fortius vero si consideretur ipsum nomen Præfetti Capituli satis superque demonstrare jus, quod ipsi inest, præsidi, & convocandi Capitulum, eodem proris modo, quo Præfetus Sacristia ad ipsam regendam constituitur, & Præfectorus chori, ut choro præsideat. Seefanton. ad Cecoper. lib. 2. Tit. 5. n. 2., hancque veritatem pluries in actis, signanter in illis primæ instantia admissit D. Perolius, & fatendo quod *Præfetus Capituli idem institutor ut Capitulum convocetur*, sic enim legitur in ejus replicationibus diei 18. Maii 1767. §. Ut hoc verius finem, & præcisè petendo ut ordinaretur jus

con-

convocandi, & praesidendi Capitulo ad se spectare, & proinde prohiberi ne imposterum deveniret ad electionem, & deputationem Praefecti Capituli, ut legere est in prima citatione & petitione sub respectivis diebus 15. Martii, & 8. Aprilis 1766., tantum à vero dictat, ut ab existentia Praefecti Capituli recte non inferatur ad jus illud convocandi, & praesidendi.

Absit propterea, & longè absit novissimè excogitatum inventum, quod Praefectus Capituli ad eum finem fuerit in Gaudiani Ecclesia institutus, ut se se schedulis subscripteret.

Hac utique subscriptio a Concil. Provinc. IV. Tit. de distributionibus demandata fuit tam Praefecto Capituli, quam Praefecto Chori, & Punctatoribus, sed presupponendo in eorum respectivo munere jam existentes hos Officiales, non autem eorum electionem injungendo ad finem signandi schedulas. Sicut enim nemo dixerit ex ita Concilii Provincialis ordinatione manus precipitam aut Praefecti Chori, aut Punctatorum in eadē consistere, ut schedulas subscriptant, non autem ut respectivè Choro praesideat, & absentias notent, ita absonum est dicere per ipsam ordinacionem, manus Praefecti Capituli restringi ad easdem subscriptiones, ita ut ejus officium in subscriptionibus præcisè consitiat.

Rursus non ne in iis Collegiatis Dioecesis Novariensis, in quibus a Capitulo sit electio Praefecti Capituli, signanter in finitima Insula S. Iulii ea electio fit ut Capitulum Praefectus convocet, eique praesideat, & de facto tale manus etiam ex adversaria confusione in illis exercet? Cur ergo idem affirmandum non sit de Praefecto hucusque electo in Capitulo Gaudiani? Tritum enim est obleviantiam, & proxim finitimum locorum, & Ecclesiarum, tamquam interpretativam maximè esse attendendam. Riminald. iiii. Conf. 257. n. 28. Card. de Lar. de Fland. dist. 51. n. 7.

Sed ut quid in hoc terminus tempus, quando in rei veritate tam in prima, quam in hac secunda infinita maximè conatus D. Perolii in alio non steterunt, quam in prætentione vindicandi contra Capitulum assertum jus convocandi, & in declamando sibi venienti ex propria persona non posuisse officere negligentiam, & factum cuiuslibet Antecessoris! Praefectū si electio Capitularis Praefectū ad unicum nunc ab adverso meditatum finem schedulis subscriptendi (& de quo nunc ipse D. Adversans dicit se nihil curare) in Capitulo Gaudiani facta fuisset, si Capituli Praefectus non fuisset electus, ut illud convocaret, eique praesideret, si Capitulum non convocasset, eidemque non praesidisset, ad quid intersilient tot D. Præpositi lamentationes, declamationes, & allegationes? cur ante institutam in petitorio hanc causam D. Præpositus iudicio possessorio in favorem Capituli renunciasset, ut habeatur in ejus allegatione teritia §. Plant. multum proferant ibi. Quandoquidem non sumus bodie in iudicio possessorio cui à nobis in aliis renunciatum est. Agnovit ergo D. Præpositus Capitularem Praefectum idē in Ecclesia Gaudiani extitisse, ut Capitulum convocaret, agnovit eum de facto Capitulum convocasse, eidemque praesidissem, consequenter cum nunc amplius non controvertatur existentia Capitularis Praefecti per centenariam, & ultra, & quidem quin constet

de initio ejusmodi existentiaz, & absque ed quod probaverit D. Peroliu tam longe tempore ollam Praepositum Capitulum convocasse, neque controverti potest quod DD. Canonici, & Capitulum sui favore allegare possint quemcumque titulum de mundo meliorem, ut in prima inspectione antecedentium allegationum per auctoritates invictabiles firmatum fuit.

In iisdem antecedentibus allegationibus, ut DD. Canonici plenius satisfacerent oppositionibus D. Praeposti ad secundam defenderunt inspectionem in qua demonstrarunt, quod materia de qua queritur sit materia consuetudinis, & sic quod ad excludendam D. Adversantis prætensionem superabundet confusione Capitulum per Ipatium 40. annorum eligere Capitularem Praefectum absque onere ullum aliud requisitum probandi.

Modò dicta conclusio obstrinxit nimium D. Peroliu, qui cum ex una parte factum ex publicis documentis scateno impugnare nequeriverit, & ex alia pro ed quod jus respicit cum auctoritates per DD. Canonicos indicare fuerint admodum punctuelles, idcirco aliquas falso ex iis, quae firmant potestatem convocandi Capitulum esse de jure Capituli uti Collegii, & ab eodem Capitulo dependentem, taliter ut qui convocat, convocet nomine Capituli, cavillare non metuit, & ad sui libitum interpretari conatur. Ait enim eas auctoritates intelligendas esse, ubi prima Dignitas absit, tunc quippe concedit validam esse consuetudinem convocandi Capitulum per Canonicum a Capitulo deputatum, ea ratione, quia tali causa totum jus regreditur ad Collegium, non vero auctoritates intelligi posse in concursu cum prima Dignitate, & ea præsente, quia tunc independenter a jure Capituli convocatio primæ Dignitatis deberetur, eamque prima Dignitas non ex jure Capituli sed proprio explet.

Fallitur tamen, & maximè fallitur D. Praepotus. Etenim retinendum est, quod inter auctoritates à DD. Canonics allegatas reperitur auctoritas Pition. Discept. Eccl. 23. n. 20. qui expresse ait Decanum (erat iste prima Dignitas, cui de jure, immo & de consuetudine spectabat Capitulum convocare, ut legere est in principio disceptationis) uti Capituli Caput convocare Capitulum nomine Capituli, & jus taliter convocandi, esse jus Capituli uti Collegii. Inter eisdem auctoritates reperitur auctoritas Scorfanton. lib. 2. tit. 5. in animadversione. n. 1. 2. 3. 4. 5. qui apertissime afferit & præsidentiam spectare ad primam dignitatem nomine tamen Capituli, & posse de consuetudine præsidentiam spectare ad alium à Capitulo/deputatum, qui eam potestatem nomine Capituli exerceat etiam in concursu cum prima dignitate. Inter eisdem auctoritates allata fuit illa Loser. de re benef. lib. 1. quæst. 16. ubi postquam n. 69. animadverit jus præsidenti non radicari in persona aliqua singulari, sed in Capitulo, unde difflit in unum, vel plures pro diversitate munerum, tandem n. 92. hæc habet - *Atque ex his fassis rato conclusi potest in colloquendo hoc præsidentia in persona aliqua sive IN PERPETUUM, sive ad tempus cuiusque Ecclesiæ consuetudinem servari sportere, neque alter exigi præscriptionem.* Constat itaque etiam Loser. ejus esse lalentia, quod jus de quo queritur sit jus Capituli, quodque ab ed in quamcumque personam

præ-

præsidentem diffusat, & quod propter hoc ipsum consuetudo alium deputandi vigere possit etiam in concursu cum prima dignitate, quia si in solo casu absentie prime dignitatis, ut male opinatur D. Perolius in alio collocari posset, verificaretur quidem quod collocari posset ad tempus, non autem in perpetuum. Ex quibus facile erit Illustriss. & Reverendiss. D. Judici Metropolitano colligere an verum dixerit tam D. Perolius, quam D. Advocatus pro eo scribens, quando affirmarunt Doctrinas à DD. Canonicis Gaudiani allegatas loqui tantummodo in casu absentie prime dignitatis.

Verum quidem est, quod *decis. 28. Dunozett. Sen. & Cecoper.* pariter à DD. Canonicis adducte loquuntur in casu absentie prime dignitatis, sed id contingit quia tam in *Seguntina* de qua agit *Dunozett.*, quam in eâ de qua tractat *Cecoper.* consuetudo deputandi vigebat tantummodo in casu absentie dictæ dignitatis. Ceterum ratio per easdem auctoritates allata, quod convocatio, & præsidentia sit de jure Capituli æque adaptatur casui, quo consuetudo vigeat abiente prima dignitate, quam casui, quo vigeat ipsa præsente; Idque mirificè comprobatur ne dum quia ea ratio simpliciter, & absolute profertur, absque eo quod aut *Dunozett.* aut *Cecoper.* unquam somniaverit assignare in causam eorum dicti propositionem unicè ex adversa cervice procedentem, quod absente prima dignitate totum ius regrediat ad Collegium; verum etiam quia *Cecoper.* attribuit prima dignitati in Collegiatis ius coadunandi Collegium, & ipsa absente eamdem potestatem transfundit in secundam dignitatem, vel vetustiorem Canonicum afferit, & immediatè subjungit nisi hæc facultas (notetur quod ex *Cecoper.* facultas competens secunda dignitati in absentia prima est eadem cum facultate competente prima dignitati) de jure speciali, vel consuetudine ad alium spectet; Unde ly jure speciali, vel consuetudine æque abeant secundam dignitatem, ac primam. Decisio autem *Dunozett.* affirmat ius præsidiendi radicaliter residere in Capitulo, & ab ipso tamquam à fonte in Præsidentem promanare, quod certè manifestè indicat præsidentiam simpliciter, & absolute esse de jure Capituli: Immo ubi etiam sustineri posset, quod prima dignitate abiente ius præsidiendi regredieretur ad Capitulum, ex hoc ipso resultaret præsidentiam esse originaliter de jure Capituli; cum ad Capitulum regredi non posset id quod ante apud ipsum non fuit, & si prius penes Capitulum fuit, ergo in primam dignitatem a Capitulo devenit: hinc quocumque le verrat D. Perolius, semper fateri debet ius præsidiendi de jure Capituli esse.

Rursus totum fundamentum super quo ejus machinam construxit D. Prepositus in eō versatur, quod convocatio Capituli de jure spectat ad primam dignitatem. Hinc cum pariter eadem convocatio de jure spectet ad secundam dignitatem, & sic successivè prima dignitate absente quando sumus in Collegiis Ecclesiasticis, ut communiter docent Canonistæ *Vivian.* dō. *jurep. part. 2. lib. 8. cap. 3. n. 3. Ros. Rom. rec. dec. 196. n. 2. part. 9. tom. I.* ceterisque relatis *Cecoper.* apud *Scarfanson.* lib. 4. sit. 1. n. 40. & 41., si non obstante juris dis-

positione tribuente convocationem secunda dignitati in absentia primæ introduci potest consuetudo, ut Capitulum per alium a Capitulo deputatum convocetur, cur idem dici non debet in contrastu cum prima dignitate?

Nec oppositum convincit decisio *coram Rezzonico* ab aduerso adeo magnifica, quæ impressa reperitur post *Searfanson*, *decis. 9. tom. 3.* Inibi siquidem ut adnotarunt DD. Canonici in antecedentibus allegationibus n. 42, controversia erat an convocatio facta a dignitate, quæ sic caput universitatis ita constitueret vocatos in contumacia, ut etiam non intervenientibus post factam convocationem duabus ex tribus partibus totius Collegii, tota potentia universitatis consolidaretur in foliis individuis intervenientibus, & actus electionis, sed presentacionis ad Præposituram de qua ibidem agebatur, esset firmus, & validus, quæ controversia fuit affirmativè resoluta.

Ad sternendam viam huic affirmativa resolutioni duas protulit propositiones Extensor Decisionis. Altera fuit, quod ubi in Collegio adest dignitas, quæ sit caput Collegii, fivè agatur de Collegio Ecclesiastico, fivè Seculari, convocatio debet est ipsi dignitati, nec est necesse, quod convocatio fiat a duabus Collegii partibus, aut quod duas partes interveniant post convocationem, ad hoc ut deliberatio in congregatione suum fortiori effectu. Altera vero, quod ubi Collegium dignitatem non habeat, tunc exigatur ut convocatio fiat a duabus Collegii partibus, nec sufficit quod fiat ab antiquiore Collegii. Hæc secunda propositio procedere quidem potest ubi agatur de Collegio Seculari (prout erat illud de quo agit, decisio) ex opinione Legitimarum, non vero de Collegio Ecclesiastico, in quo si Collegium dignitate careat juxta Canonistarum sententiam convocatio ad antiquiorem pertinet. *Felix. in cap. cum annis de confit. sub n. 35. Lamberlin. de Jure past. lib. 2. part. 2. q. 20. art. 22. vers. declarata serio hanc terraneam conclusionem. Et vers. restringe hanc declaracionem. Vivian. d. p. 2. lib. 8. cap. 3. n. 3., & ita intelligi debet memorata decisio coram Rezzonico*, quia in comprobationem ejus assumptionis præcisæ tres autoritates ita distinguentes adducit: Unde cum calus noster sit de Capitulo Ecclesiastico, si caput in eō non existeret, de jure, & alio non docto antiquior convocare deberet, & sic non applicatur secunda propositio in decisione firmata, quod convocatio fieri deberet à duabus ex tribus Capituli partibus, & sic corrigit propositio a D. Petolio confita, quod alio non docto in hoc calo convocatio de jure non spectaret ad antiquiorem, sed omnino spectaret ad Capitulum à quo properet induci consuetudo convocandi per alium. Quo autem ad primam propositionem in decisione contentam, scilicet quod existente Capite Capituli ad ipsum de jure spectet convocatio, nil novi adducit decisio illa, sed conclusionem ab omnibus admissam, desumptam ex cap. 1. de majorit. Et obed. Hæc autem conclusio non repugnat cum altera pariter communiter admissa, quod quando Caput Capituli (ad quod alio non docto de jure spectat convocatio) Capitulum convocat, illud covocabet nomine Capituli, & exerceat actum radicaliter fundatum in jure Capituli, & ab ipso dependentem, minus repugnat cum altera, quod de consuetudine convocatio possit ad alium pertinere,

quam

7

quam ad primam dignitatem. Et in rei veritate cum ad has inspectiones examinandas, que erant omnino extraneae a puncto illius controversia non descendat decisio coram Rezzonico, frustra ab ea decisione praesidium sibi querit D. Perolius. Quod ut manifestissime innotescat (& ex hoc quilibet amaritudo adversaria cessabit) sicuti inconclusa est regula, quod convocatio Capituli spectat ad eum, cui de jure, vel de consuetudine, que regula generaliter, indefinitè, & absque ulla distinctione, aut restrictione passim admittitur, quamvis agatur de Capitulo habente primam dignitatem, & caput Capituli, cui de jure, & alio non docto convocatio pertineret, Vanepon. p. 1. tit. 7. cap. 5. n. 14. §. sed quia, & post innumeros Card. Petr. ad confis. 1. D. Leonis Magni sent. 2. per rot. n. 46., Scarfanton. ad Cecoper. lib. 4. tit. 1. in animadversion. n. 12. ibi ... Potest ratiōne busūsmodi jus convocandi Capitulum spectare ad Decanum, vel aliud de Capitulo statu, vel consuetudine, ut evenit in Ecclesia Lucana, in qua convocatio, & praesidens in Capitulo spectat ad Canonicum nuncupatum interiorem Sacram. Et forte clarius n. 20. ibi ... Quare, ut diximus convocatio Capituli spectat ad illius caput, sive ad aliud iusta consuetudinem; Ita si decisio coram Rezzonico intelligenda foret, prout contorquendo ejus sensum insinuare tentat D. Perolius, quod de consuetudine potest spectare convocatio ad aliud in solo caso absentie primae dignitatis, vel deleri deberet ab omnibus libris superius enunciata generalissima, & indefinita regula, vel affirmari quod decisio in ea parte contra omnium Canonistarum sententiam procererit.

Consuetudinem in Capitulo Gaudiani convocandi Capitulum per Canonicum in Capituli Praefectum deputatum amplius impugnare nesciens D. Advocatus pro D. Perolio scribens, destitutam laitem requisita actuum frequentia incusat; quandoquidem eam obtinuisse tantummodo sub Praepositis Manino, & Rera, & sic duobus tantummodo actibus sufficiam affimat, prout & super hac ipsa consuetudine numquam ab ipsis Praepositis ullam item motam fuisse contra Capitulum, cum exteroquin necesse fore eam fuisse canonizatam in contraditorio iudicio, ed quia consuetudo eismodi est juri contraria, unde probari debet cum qualitate coactiva.

Mirabile, & prolsus inauditum hucusque in foro est, quod numerus actuum, & eorum frequentia a numero, & pluralitate Praepositorum delimi velit. Certane quidem inter se DD. an duo, an plures adhuc requirantur ad hoc, ut introducta dici valeat consuetudo, sed nemo ex DD. unquam somniauit quod actuum pluralitas ex pluralitate Perlocuarum commensuretur.

Porr̄ ubi etiam sub foliis Praepositis Manino, & Rera controversa consuetudo vigisset, nonne Maninus jam ab anno 1648. Praepositus erat Ecclesiae Collegiate Gaudiani, & in Praepositura perduravit usque ad annum 1712. Rera vero ab anno 1712. usque ad annum 1760? Enumerentur nunc actus tantummodo electionum factarum sub Praeposito Rera de respectivis Canonicis in Praefectos a Capitulo deputatis, & invenientur tot fuisse alias electionum, quot sunt anni ab illo 1712. ad aliud 1760.; Imo, & quolibet ex his annis tot

9

fuisse actus per respectivos Capituli Praefectos exercitos in convocando Capitulo, quod Capitulares Congregationes singulo quoque anno habite sunt; & hisce statibus non erit opus recurrere ad Edipom Conjectorem pro dignoscendo an consuetudo, de qua agitur sit ius-  
fulta taecummodo duplici acto, an potius stipata sit plurimum, &  
plurium actuum frequentia.

Progrediendo nunc ad examinandum an sit necessaria consuetudinis canonizatio in contradicitorio judicio, non subiicit in primo Fundamentum D. Advocati Romani quod consuetudini deputandi Praefectum Capitularem jus resiliat; cum imò tam ex eo quod convoca-  
tio est de jure Capituli, & a quoconque explicari contingat ex-  
plicatio fit nomine Capituli; tam ex eo quod praesens qualitas non  
sit inter D. Praepositum, & aliquem Canonicum, qui jure suo par-  
ticulari convocationem pretendat, sed qualiter veretur inter D.  
Praepositum, & Capitulum, cui indubitanter cedere debet D. Prae-  
positus, cum universitas vincat singulos, quam ex eo quod circa  
Personam, cui competere possit convocatio jus consuetudini defe-  
rat, eadem consuetudo rationabilis censenda sit, nec ullam habeat  
juri resistentiam, maximè cum non constet ex fundatione Ecclesias  
Collegiata Gaudiani quidquam cautum fuisse in ordine ad convo-  
cationem ut latè in antecedentibus allegationibus: Proinde corruen-  
te fundamentis adversario resistentia juris, corruit & necessitas ca-  
nonizationis in judicio contradicitorio.

Secundo transmiso per modum falsissima hypothesis quod consuetudo  
haec haberet juris resistentiam, in questione per DD. agitata an ad  
sustinentiam consuetudinem requiratur eam obtinuisse in judicio contra-  
dicitorio, dissidentes opiniones se communiter conciliantur, ut op-  
nio ceteroquin minus vera soror qui volunt eam debere obtineri  
in contradicitorio judicio, procedat in actibus judicialibus, alia ve-  
ro opinio, que hanc qualitatem non requirit, procedat in actibus  
extra judicialibus, ut ex Bald., & Vivo. tradit. Mafcard. de proba-  
tion. rom. t. conclus. 427. in fin., & ex aliis in terminis praeceden-  
tia Ferr. de preced. qualit. 18. n. 21., idcirco cum consuetudo,  
de qua queritur non veretur circa actus judiciales, neque requi-  
ritur, quod sit in judicio contradicitorio obtenta.

Tertio in proposito notanda sunt aurea verba laudata. Fevr. loco prox. cit. --  
Sed hoc qualitas parum proderit in questione praecedentia; nam si con-  
tingat intra Communem, & ipsi auctoraverit praecedentiam ejus au-  
toritas judicium eis contradicitorum, nec aliud requirendum: ET  
IDEM SI QUÆSTIO CUM PERSONA SINGULARI CONTIN-  
GAT PRÆCEDENTIÆ PUNCTUM APPROBANTE. Sed sic  
est quod indubitanter tam Rera, quam Maninus electiones Capita-  
latis Praefecti expressè approbaverunt, cum & ipsi ad eas electio-  
nes, unanimiter cum Canonici devenerint, ut ex continuis acti-  
bus electionum a D. moderno Praeposito admissis; frustra igitur op-  
ponitur deficitia ejusmodi asserti requisiti.

Quarto denique proprio sefe ligone percutit D. Advocatus Romanus,  
dum ait idem esse Capitulum in possessione convocandi per ejus Ca-  
pitularem Praefectum, quia Praepositi Maninus, & Rera silverunt,

9

& fortè quia ignoratunt sibi competere prærogativam convocandi.  
Quandoquidem ita ratiocinando admittit præfatus D. Advocatus fa-  
vore Capituli possessionem plusquam centenariam, ex quo Maninus  
ut dictum est usque de anno 1648. erat Præpositus, & Rera ejus  
immediatus Successor in Præpositura perduravit usque ad annum  
1760.; qua centenaria attenta de nullo requisito fieri potest que-  
stio, cum centenaria faciat verum omne, quod est possibile, & om-  
nia intervenire, quæ sunt necessaria, neque in ea est necessaria pro-  
batio qualitatis coactiva, aut eidem applicari potest regula materie  
facultativæ, ut hæc omnia pariendo labore transcribendi auctorita-  
tes cum inutili repleione cartarum recognosci possunt latius discul-  
fa apud Urcos. decis. Florent. 29. & n. 1. Palm. ap. allegation. 103.  
n. 69. 70. Piton. de couzou. Patron. alleg. 59. n. 57. Urjaja discept.  
41. n. 95. rom. 8. p. 1.

Quoad reliqua se se remittunt DD. Canonici ad jam scripta in prio-  
ribus allegationibus, ex quibus alia si quæ sunt objectiones D. Ad-  
vocati Romani dissolute conspicuntur.

Tempus nunc est, ut postquam examinata est D. Advocati Romani  
allegatio, examinetur quoque novissima à D. Præposito transmissa  
scripta, in qua desperans ipse de omnibus tam lato calamo in  
suis antecedentibus allegationibus cumularis se si restringit ad unicum  
punctum, quod monstruosum sit, ac rationi naturali repugnans, ut  
ab alio, quam à Præposito Capitulum convocetur. Meum ergo e-  
rit hanc vanissimam objectionem paulo diffusas, quam in allega-  
tionibus actum est, omnino dissolvere, & profigare demonstrando,  
quod ad fundandam in hac parte D. Præpositi intentionem non in-  
tervit aut assertio quod ipse sit Prelanus, aut quod habeat jurisdi-  
ctionem in Canonicos, non expresso in Wallis ejus collationis con-  
tentis etiam cura jurisdictionis immisit, aut tandem quod sit  
Caput Capituli, prout recoquendo toties collam crambem iterum  
acque iterum hæc omnia repetit idem D. Præpositus.

Jam notatum est supra ex Later. prælationis subjectum esse jurisdictio-  
nem ordinariam, vel superiorem, ut est illa Episcopi, vel inferio-  
rem, ut est illa inferiorum Prelatorum. Notatum quoque est ex  
Card. Petri inferiorum Prelatorum triplicem speciem esse, & quam-  
libet secum ferentes exemptionem à jurisdictione Episcopi Perso-  
narum, in quas ejusmodi Prelati habent jurisdictionem, quod fir-  
mat etiam Card. de Lue. in suo opere del Vescovo Pratico cap. 35.  
Cum itaque non doceatur de exemptione Capituli Gaudiani à ju-  
risdictione Episcopi, inde extra dubitationis alcum subdit tam Ca-  
pitulum, quam D. Præpositus jurisdictioni Illustris, & Reveren-  
dis. D. Novaria Episcopi, non est cur gloriatur D. Perolius aut  
de vila Prelatura, aut de sibi competente jurisdictione in Gaudi-  
ni Capitulum.

Neque fidat D. Præpositus in verbis Provincialis Synodi Aquisgranen.  
anno 816. celebrata, ex quibus deducere vellit ipsam nomencla-  
turam Præpositi importare Prelaturam, & jurisdictionem. Quando-  
quidem antiquitus Præpositi creabantur, ut in absentia Episcopi  
Ecclesiam regerent, & jure Episcopi Vicario, veluti ejus officiales  
de

de facto regebant; nunc vero soli Episcopi, &c in eorum supplementum Vicarii Generales hanc curam habent, nisi à Summo Pontifice mediante expressa exemptione aliis concedatur, ut ex relatis auctoritaribus Card. Petr., & Card. de Luc. aperte scatet, & ante hos dignissimos Purpuratos scriptum reliquit Molanus, de Canonicis lib. 2. cap. 4., ubi facta prius mentione Aquisgranen. Synodi, relativique istud verbi in contrarium adductis haec habet — TUNC PRÆPOSITURA ERAT OFFICIUM, NUNC EST BENEFICIUM, TUNC ERAT OBEDIENTIA, NUNC EST DIGNITAS, TUNC ERAT MAGISTERIUM, ET MINISTERIUM, NUNC EST NUDI FERE NOMINIS PRÆLATURA. TUNC PRÆPOSITUS EPISCOPI VICE PRÆERAT CANONICIS, NUNC PER EXEMPTIONES, ET CONTRARIAS CONSUETUDINES OMNISILLA AUTORITAS SUBLATA EST — UT SI NOSTROS AD PRISCOS ILLOS CONFERAMUS PRÆPOSITOS NIHIL FERE ALIUD VIDEMUR RESERVASSE, QUAM UMBRAM QUAMDAM VETERIS PRÆPOSITURÆ — SED QUOD REGIMENT CANONICORUM, ET CURAM ANIMARUM CAPITULI, UNDE PRIMITUS DICTI SUNT PRÆPOSITI PRORSUS EMORTUA, ET EXTINCTA EST VETUS ECCLESIASTICA DISCIPLINA. Haftenus Molanus. Minus fidat D. Præpositus in expressione, qua legitur in Bullis ejus provisionis — etiam si cura jurisdictionalis immineat. Talis quippe expressio de formulario in provisionibus quarumcumque Præposituræ adjici solita potest quidem operari, ut si de facto talis cura immineat, salvetur propositio à subreptione propter non expressam qualitatem Beneficii necessario exprimendam juxta prescriptum Regulæ 57. Cancellaria Apostolica; tamen ex modo obiecta adjectio inferri nequit, quod vere, & realiter Beneficio, de quo si provisio cura jurisdictionalis immineat. Et sane illa dictio etiam si aquæ determinat ly & ad illam quis consueverit per electionem assumi, quam ly eique cura jurisdictionalis imminet, quam ly & super ead in potiorio, vel possessorio inter aliquos lis penderat indecisio: Et tamen nemo affirmabit quod ex prima, & tercia istarum expressionum certè inferatur consuevisse quempiam ad Præposituram Gandiani per electionem assumi, & super eadem Præpositura, quando D. Petrus obtinuit de ea provideri aliquam item adsuist, que indecisa tunc penderet, nisi aliunde de hinc coalter, unde parvissime dicendum est de intermedia expressione in ordine ad curam jurisdictionalem, quæ ubi aliunde inesse Præpositure non probetur, illius probatio delimi nequit a dictione etiam si, quæ de lui natura nihil certi ponit in esse. Quomodo autem delimi poterit haec probatio si veritas stat in oppositum? Porro cum Cura jurisdictionalis sit potestas ejiciendi, & recipiendi in Ecclesiam, visitandi, corrigendi, & puniendi excessus mediante excommunicatione, vel interdicto Faganus. In Cap. In Ecclesiis n. 2. de Copell. Monacor. Loter. de re Benef. lib. 1. quest. 20. n. 20. cum haec potestas vix reperiri possit in ea Dignitate, quæ sit à Capitulo distincta, & quæ Prælati figuram faciat, non autem in ea Dignitate, quæ sit de Capitulo, cum hoc

hoc casu ejus Possessor nullam jurisdictionem habere possit in illos qui sunt de Capitulo, sed ipsa solida maneat, & residat apud Episcopum, ut in terminis monet *Loter. dicta quest. 20. n. 22.* in cujus verbis toties juravit D. Perolius; consequens est ut exilente Praepositura Gaudiani de Capitulo, Praepositus omnino caret cura jurisdictionali: & si exercitium talis suppositae curæ attentari vellet à D. Perolio, non solum omnium admirationem provocaret, non solum DD. Canonicos haberet contradictores, verum etiam pro hoc attentato ultricem, & punitrice haberet Ecclesiasticam Novariensem Cusiam; eodem prorsus modo, quo in quemlibet alium Praepositum simili perpetrantem justissimè animadverteret respectivus Ordinarius illius Dioecesis, in qua ille Praepositus existeret.

Ex quibus absque ulla mentis contorsione quisque percipit, quod illa monstruosa, quam ex Praelatura, & Jurisdictione in Capitulum deducere vellet D. Praepositus, cessat ad ipso, quod ruit prælupputum Praelaturæ, & jurisdictionis. Hinc reducitur omnis adversaria insuffitia ad unicum punctum, quod D. Praepositus sit Capituli caput, propterea dicit jam fuisse confessos DD. Canonicos media auctoritate facta favore D. Praepositi Burgimanaerii.

Pro removenda hac ultima insuffitia non est opus, ut DD. Canonicis se defendant ex vulgata conclusione, quod confessio maximè extra-judicialis ad aliud finem, & favore alicuius personæ emissæ, & quidem merè testificando, non probet favore alterius personæ. Sit D. Praepositus Capituli Gaudiani Caput: Nonne in allegationibus dictum est duplice in adesse capitis speciem, principalis alteram, quæ est Episcopi, vel alterius habentis jurisdictionem quasi Episcopalem, qui habeat Canonicos sibi subditos; alteram vero numeralis, propterea est Praepositus in Collegiatis, qui oīa habet Canonicos sibi subditos, cuique modo minus competit ulla jurisdictione in Capitulum; cum immo & ipse Praepositus sit de Capitulo, vixque dici possit membrum nobilioris habentis tantummodo quoad singulos Canonicos eam præminentiam, quam habet frater major respectu minorum, & hæ propositiones firmate fuerunt auctoritate Cecoper. apud Scarfagon. lib. 4. tit. 1. a n. 8. ad plur. seqq., ubi innumeris reperiuntur concordantes, auctoritate quoque Piron. discept. 44., auctoritate Ursiae tom. 2. part. 1. discept. 2. a n. 41. ad n. 45., quibus addi debet idem Ursiae tom. 3. p. 2. discept. 23. n. 44. & 45., nec non tom. 5. p. 2. discept. 18. n. 27. Et quiores prima dignitas in Collegiatis & ipsa Capitulum constituit, non Superioris, aut Praelati personam gerere potest, sed est pars homogenea, & ejusdem speciei cum aliis membris, alias uti Praelatus intrinsecè Capitulum non faceret, Rot. Rom. rec. decis. 300. n. 4. 5. part. 12., quod est conforme traditis per *Loter. ius civit. quest. 20. n. 22.* & praxi Cancellarie Apostolicæ, quæ referendo principalem dignitatem in Collegiata juxta Regulam quartam appellatione dignitatem eam reservat, quæ est de Capitulo, non autem aliam si adsit, quæ Praelati figuram faciat, ut ex *Cord. de Luc. notat Rigaut.* ad eandem Regulam quartam §. 2. n. 4. & 5., & proinde cum D. Praepositus sit caput secundæ speciei, scilicet numerale nulla adesse potest deformitas, nulla repugnantia rationi naturali, quod alias à Ca-

pitulo deputatus Capitulum convoker ex rationibus in antecedentibus, & in praesentibus allegationibus adductis; Primo, quia hoc calu iste Canonicus non convocat jure proprio, & particulari, sed tamquam representans totum Capitulum, quod certè maius est D. Preposito, nendum ex quo Universitas vincit singulos, sed etiam ex quo D. Prepositus à Capitulo punctatur, & multatur ob ejus absentias Ror. Rom. d. decisi. 300. n. 9. O<sup>r</sup>. 17. Secundo quia convocatio est de jure Capituli, unde Capitulum per Statutum, aut consuetudinem inducere potest ut ab alio, quam à prima dignitate Capitulum convocetur. Tertio quia jus desert huic consuetudini. Quarto quia consuetudo isthac non possit posse in omnibus D. Prepositum Prefecto Capituli.

Non relevant proinde adverbia omnia paralogistica ratiocinia, nempe quod non debeamus ludere in verbis, quando de veritate rei constat, scilicet quod Caput est numerale est caput jurisdictionale. Hoc enim pugnat cum relatis auctoritatibus, quae dum affirmant Prepositum esse Caput numerale, propter hoc ipsum affirmant non habere Canonicos sibi subjectos, nullamque in eos jurisdictionem exercere posse, quando ex opposito loquendo de Capite principali, prout est Episcopos, aut aliis quasi Episcopalem jurisdictionem habens ipsi tribuant jurisdictionem in Canonicos potestatem, nec illa erit reperibilis auctoritas, quae in ordine ad Caput numerale asserta esse lumini naturali, aut rationi contrarium, si Capituli convocation non ab ipso fiat, sed ab alio à Capitulo deputato: quin immo punctualissime à DD. Canonicis adducta sunt auctoritates, quae in concursu primæ dignitatis in Collegiatis (qua certè semper est Caput numerale) expressissime sustinente posse de consuetudine convocationem Capituli ad alium spectare. Non est itaque ludere in verbis distinguere Caput principale à numerali, sed est tealem adducere inter unum, & aliud differentiam, & quidem substantialissimam relativè ad punctionem praesentis controverxie.

Reponit tamen D. Perolius quod in Erectione Collegiarum ex formula tradita per Pyrr. Corrad. inter cetera solet apponi — Pro uno Preposito, qui ipsius Ecclesie Caput existat, immo quod ex nonnullis Rotar. Decisionibus unum ex Collegiate signis sit quando ibi adest prima Dignitas tamquam Caput, & Canonicis uti membra.

Verumtamen neque in formula erectionis Collegiarum dicitur quoniam caput sit prima dignitas, an principale, an numerale, & certè non nisi de numerali intelligi potest, tam ex superius latè traditis, quam ex precisa in his terminis auctoritate Pison. d. discept. 44. n. 3., & Ursulae tom. 3. p. 2. discept. 23. n. 45., qui eam formulam Ecclesie Caput existat intelligunt de Capite numerali, neque ex ea quod Signum Collegiate sit adeste ibi primam dignitatem, uti Caput, & Canonicos, uti membra rectè argui potest hanc dignitatem habere jurisdictionem in Capitulum, & Canonicos. Dupliciter enim Caput potest habere relationem ad Capitulum, & Canonicos uti membra; videlicet vel tamquam Caput de per se stans, & a Capitulo contradistinctum, quod proinde non venit nomine Capituli, sed Capitulo, & Canonicis uti membris sibi subjectis imperat; vel tamquam Caput per se non stans, sed Capitulum intrinsecè cum aliis personis constituens, ac veniens sub nomine

nomine Capituli; & tunc cum sit metum Caput in ordine, & pars honorabilior quidem, sed homogenea ipsius Capituli, ac cum reliquis Capituli membris, non habet ista sibi subjecta, propterea dici quidem possunt alia membra, membra Capituli, sed non membra hujus Capitis. Primi generis Caput est Episcopus, aut alius quasi Episcopali Jurisdictione pollens, qui nomine Capituli non venit, quique Capitulum, & Canonicos sibi subjectos habet, eisque imperat, unde Canonicis in primo sensu dicantur membra ejusmodi Capitis. Secundi generis caput est prima dignitas in Collegiata omnino & ipsa probat Canonici Episcopo subjecta, & veniens sub nomine Capituli, quo non habet sibi subjectos Canonicos, & Capitulum, eisque non imperat, & sic Canonici sunt quidem membra Capituli, sed non sunt membra primæ Dignitatis. Ita docent relatae auctoritates *Cecoper. Pitt. Urſajz Rer. Rom. decif. 300. p. 12.*, & alia plurimæ ab ipsis adductæ.

Itaque cum aliæ auctoritates ab adverso citatz, quo dicunt signum Collegialitatis esse quando adest prima dignitas uti Caput, & Canonici uti membra id in genere dicant, nec exigant quod ad inferendam Collegialitatem debeant adesse Caput, & membra in sensu priori loco superius exposito, non nisi ad opportunitatem D. Praepositus Peroliū assert̄ hallucinari Doctores superius pro DD. Canonicis citatos negantes Collegiarum Praepositis præminentiam tantummodo fraternalē, & qualitatē membris quidem nobilioris sed homogenei cum ipsis Canonicis. Edque amplius id assert̄ ad opportunitatem, quia ad esse Collegiatæ neque est necesse, ut adsit Caput secundi generis, cum etiam sine talis Capitis existentia ex aliis signis à DD. palliū indicatis argui possit Collegialitas: Unde si potest esse Collegiatæ corpus efformatum ex solis Canonicis, majus signum Collegiatæ erit existentia in Ecclesia Canonicorum unacum Praeposito eorumdem Capite numerali. Paucis verbis: Auctoritates pro DD. Canonicis adductæ expressissimè negant Praepositis Collegiarum jurisdictionem in Canonicos, & Canonicos non esse Praepositis subjectos constanter afferunt, & iste est punctus questionis, quam in hac parte efformat D. Peroliū. Alijs verò quo ab ipso adducuntur percutiunt signa Collegialitatis, & dum ajunt unum ex signis esse quando adest dignitas uti Caput, & Canonici uti membra, non dicunt quod Caput sit jurisdictionale, & quod membra sint subjecta tali Capiti, probū sibi effingit D. Peroliū, quando ceteroquin ratio Capitis, & membrorum rectè verificatur de Capite in ordine, & de membris ejusdem Capituli.

Hæc ad lauditem dicta sunt, & ad indulgendum genio D. Praepositi Adversantis nimis proclivi ad evagandum per diversa argumenta extra-nea à stricto puncto controvertia. Ceterum DD. Canonicis pro obtinenda victoria, & prosequendo in deputatione sui Capitularis Praefecti, qui Capitulum convocet absque eo quod eis objici possit, quod consuetudo illa deputandi sit irrationalis, & naturali lumini repugnans, superabundare debet ipsos allegatis punctualissimas auctoritates, quo hanc consuetudinem convocandi Capitulum per alium, quam per primam dignitatem expresse canonizant, quin in contrarium

rium ulla à D. Perolio punctualis auctoritas adduci potuerit, superabundare debet, quod in aliis quoque Ecclesiis, & signanter in finita S. Julii eadem consuetudo vigeat: superabundate tandem debet, quod hucusque in omnibus Collegiatis Dioecesis Novariensis, & in ipsa Ecclesia Gaudiani jugiter deputatus fuerit Canonicus in Praefectum Chori, qui Choro praesideret, & quidem in concursu cum prima dignitate. Et si haec consuetudo huc usque non fuit recognita vel pro contraria Ecclesiastica Disciplinaz, vel pro irrationalibili, cur irrationalibilis, & contra Ecclesiastica Disciplinam tam securè poterit à D. Perolio affirmari pariformis omnino consuetudo deputationis Canonici in Capitularem Praefectum pro Capitulo convocando. Pro certo itaque tenent DD. Canonici Clientes mei, quod Illustris, & Reverendiss. D. Iudex Metropolitanus sit reformaturus ordinacionem D. Vicarii Generalis Novarie, & pro ea, qua maximè pollet sapientia, ac religione sit declaratus convocationem Capituli Ecclesie Collegiatæ Gaudiani spectare, prout hastenus pertinuit ad Canonicum pro tempore à Capitulo deputandam in Capitularem Praefectum; prout ita &c. Me tamen &c.

*Canonicus Joseph Marelli Advocatus.*

# FOUNDAZIONE MARAZZA

1772. 7. Maji.

## CHRISTI NOMINE INVOCATO.

Pro Tribunal sedentes, & solum Deum  
præ oculis habentes &c.

Per hanc nostram definitivam Sententiam, quam in his scriptis  
ferimus, dicimus, declaramus, pronunciamus,  
ac definitivè sententiamus.

**M**Alè fuisse per Reverendissimum D. Vicarium, & Locum Tenen-  
tem Generalem Curie Episcopalis Novariensis medià ejus ordi-  
natione diei 18. Mensis Maii præteriti anni 1767. judicatum severè  
M. R. D. Laurentii Peroli Prepositi Insignis Ecclesie Collegiatae  
Sancti Juliani Oppidi Gaudiani Diœcesis Novariensis: Bend vero, ac  
intera legitima tempora fuisse pro parte Admodum RR. DD. Cano-  
nicorum, eorumque Reverendissimi Capituli ejusdem Ecclesie appellata-  
rum, & reclamatum: Idedque, circumscripta prædicta ordinatione,  
licuisse, & licere enuntiato Capitulo, & Canoniceis prosequi in ele-  
ctione, & deputatione Praefetti Capitularis, qui Capitulum convocet,  
eique præsideat; Non obstantibus quibuscumque in contrarium dedulcis,  
& allegatis: Absolutis Partibus ab expensis tam in primis, quam in  
bac secunda instantia fassis, præterquam à salario, scilicet &c. bujus  
Nostræ Sententia, in quo pro una medietate dictum Admodum Reve-  
rendum D. Prepositum Peroli, & pro altera medietate dictos Ad-  
modum RR. DD. Canonicos, & Reverendissimum Capitulum Gau-  
diani condemnamus, ejusdem taxationem committentes Domino Nota-  
rio Alvario bujus Archiepiscopalis Curia. Et ita &c. omni meliori  
modo &c.

Signat. Ita pronunciovi Ego Paulus Manzoni Vicarius Civilis, & Juxta  
Metropolitanus.

FONDAZIONE  
MARAZZA